**De talipedibus : dissertatio inauguralis chirurgica ... / auctor Carolus Mauritius Lewald.**

**Contributors**

Lewald, Karl Moritz.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Nietackianis, 1837.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/qhe6gebw

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

b2248372x
TRACTS A430(6)

DE

# TALIPEDIBUS.

## DISSERTATIO
INAUGURALIS CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
*DIE XVII. M. JULII A. MDCCCXXXVII.*
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

**CAROLUS MAURITIUS LEWALD**
REGIOMONTANUS.

OPPONENTIBUS:
L. MEYER, MED. ET CHIR. DR. PRACT.
E. CARP, MED. ET CHIR. CAND.
M. SIMON, JUR. UTR. STUD.

ADDITA EST TABULA LITHOGRAPHICA.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

[418] b2224837 2x
Mar 01, 2016

ILLUST
EXI

J.F.

MEDICINAE ET
P. E. IN UNIVE
SOCOMII CARIT
COLLEGII EXAM
ORDINIS REGII
EQUITI, ORD.
RASSICI LUDOV
LEONINI E
L

VIRO

ILLUSTRI, CELEBERRIMO,
EXPERIENTISSIMO

# J. F. DIEFFENBACH,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P. E. IN UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA, NOSOCOMII CARITATIS BEROLINENSIS MEDICO PRIMARIO, COLLEGII EXAMINUM HABENDORUM SUPREMI MEMBRO, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN CLASSE QUARTA EQUITI, ORD. SUECICI WASANI CENTURIONI, ORD. HASSICI LUDOVIC., ORD. BADENSIS ZAEHRINGENSIS LEONINI EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIAR. SODALI ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMA QUA PAR EST PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

De nonnullis vulgi praeiud
Lichtenberg, Karl Friedricl
Royal College of Surgeons
[418] b2248372x
Mar 01, 2016
De pneumonia i
Liman, Ferdinan
Royal College o
[420] b224
Mar 01, 2016
b2248372x
TRACTS A430(6)

---

**T**res pedum deformitates praecipue medici discernere solent, pedem equinum, (Spitzfuſs), pedem varum (Klumpfuſs), pedem valgum, (Plattfuſs). Pedem equinum eam pedis deformitatem nominamus, qua, calce elevata, aeger impeditur, quominus tota planta pedis inter ambulandum utatur, etenim modo apicibus digitorum, aut dorso pedis in terra positis incedere potest: pedem varum, si una cum elevata calce pes ita dislocatus est, ut aeger externo tantum pedis margine terrae insistere possit, itaque si ambo pedes hominis hoc morbo laborent, planta pedis utriusque sibi opposita sit; pedem valgum, si pes ita deflexus est, ut aegrotus interno margine terrae insistat. Sed et inter se unaquaeque species tot tantaque habet discrimina, et vicissim tam multae varietates specierum dictarum inter se conjunctae sunt, ut alio loco nonnulla hac de re disserere in animo sit.

Priusquam vero ad anatomiam deformitatum pedis progrediar, non alienum a re esse videtur, si quaedam de anatomia pedis sani, haud dislocati, proferam et tibi,

L. B. in memoriam revocem. Pes pro articuli sui inter malleolos natura praesertim duos facere potest motus, flexionem et extensionem: os tali enim inter malleolos ligamentis, membrana capsulari diarthroseos tarsi, ligamento deltoideo, ligamento laterali externo (ligamento fibulari calcanei, lig. fibulari tali antico et postico) tam bene munitum est, ut paululum modo ad latus internum, nihil fere ad latus externum moveri possit ob magnam rigiditatem et brevitatem ligamentorum et majorem malleoli externi prominentiam, quibus fit, ut luxationes pedis ad latus externum multo rariores quam ad internum, et valgus nunquam eum in modum deformis sit, quomodo pes varus. Septem tarsi ossa inter se tot et tam rigidis ligamentis conjuncta sunt, ut unumquodque fere immobile reddatur, nec unquam singula luxentur, omnia vero, simul mota, majorem proferant flexionem, qua dorsum pedis elevatur, planta curvatur.

Ossa metatarsi, quamquam exigua mobilitate praedita, tamen triplicem motum subire possunt.

I. Moventur ad plantam, digitis valde flexis; moventur ad dorsum, digitis valde extensis, v. c. si quis apicibus digitorum insistit, quo motu bases primae phalangis digitorum circa capitula ossium tarsi ultro citroque labuntur.

II. Moventur aliquantum ad externum latus abducto, ad internum adducto pede.

III. Musculis interosseis agentibus, ossa haecce digitis extensis invicem diducuntur, digitis flexis alterum alteri appropinquantur.

Digitorum articulatio sat expedita, non magni mo-

menti est quod ad motum totius pedis, ni alia quoque ossicula consensu musculorum in actionem vocantur.

Sic, ut supra attulimus, satis magnam flexionem pedi instituere possumus, si musculos, tarsum et metatarsum et digitos ad internum latus ducentes, una excitamus, multo minor vero pedis motus ad latus externum conceditur, minime tamen ex toto deficit. Sed pes humanus omnino multo esset flexilior, nisi caligis pedem ab incunabulis inde coërcentibus musculi prohiberentur, quominus bene excolantur, id quod gentes, quae caligis non utuntur, et saltatores probant; memini, me in nosocomio caritatis cadaver vidisse et digitos et pedem optime excultos admiratum ex custode quaesivisse, cui negotio homo ille addictus fuerit, et custodem respondisse »saltatorem fuisse regium;« ex sutore quoque, qui Napoleone imperatore in Hispania et Aegypto stipendia meruerat, me comperisse recordor, illarum gentium pedes et latiores et longiores et altiores fuisse, cujus rei ille sine dubio optimus erat judex.

Priori aevo illa pedum deformitas, aeque ac caput obstipum et scoliosis, ex ossium mala configuratione oriri credebatur, nostris autem temporibus, quum anatomia pathologica maxima ceperit incrementa, musculos pro horum malorum causa habendos esse et modo si istae deformitates in longius protrahantur, cum ossibus morbum communicari, didicimus, quod e sceletis satis elucet, nam in uno tantum sceleto viri adulti ossa quoque pedis a normali forma discrepantia inveni, in sceletis puerorum contra, qui aut nihil, aut parum ambu-

laverant, ossicula omnino sana, situs modo eorum irregularis apparuit.

Hac deformitate gressus aegroti incertissimus redditur, nam planta minima, nonnunquam magnitudinem modo unius sestertii habet, interdum aliquantum major quidem est, sed nunquam amplitudinem normalis plantae adipiscitur et adipisci potest. Haec abnormis planta diuturno usu indurat et fere formam et structuram clavorum accipit, quo fit, ut gressus non modo incertus sed etiam dolorificus sit.

Hoc malo diu protracto articuli ancylotici fiunt, quod maxime est momenti ad prognosin augurandam, quum exorta ancylosi vera fere nihil spei supersit, si ancylosis spuria modo adest, prognosis multo melior, imo interdum bona effulget.

Quum per adversam fortunam et superstitionem hominum mihi non contingeret, ut cadaver infantis talipedibus varis affectum dissecarem, haecce institui experimenta: in extremitate inferiori cadaveris, cute reclinata musculisque singulis rite praeparatis, quoad hoc sine musculorum discisione fieri potuit, tam diu alteros musculos attraxi, alteros discidi, donec illas deformitates proferre possem. Non nescio autem, haec experimenta levioris esse momenti, quare ingenue fateor, me, ut aliquid novi instituisse viderer, ea perfecisse.

Sed jam progrediamur ad contemplandas deformitates, et incipiamus a pede equino, qui simplicissima pedis deformitas mihi videtur. Multas, ut supra diximus, habet varietates et gradus, quorum tres enumerabo: primus est gradus, si aegrotus capitulis ossium

metatarsi insistit; hanc deformitatem sine discisione, sola gastrocnemicorum attractione effici; in secundo gradu aegrotus nititur digitis pedis; hanc deformitatem, qua aegrotus more avium salire cogitur, attractione tendinis Achillis sat valida inducere potui; in tertio gradu aegrotus incedere fere nequit, planta enim humum tangere non potest, sed pedis dorsum in terra ponitur; malum maxime dolorificum et propter magnam omnium extensorum tensionem et propter pressionem superficiei dorsalis pedis, quae minimo musculorum tegumento defenditur. Hoc malum in cadavere produxi maxima attractione tendinis Achillis et plantaris et flexoris longi digitorum pedis; musculos ad hunc scopum non incidi, cute enim reclinata musculi multo magis extendi possunt. Altera pedum deformitas, varus, plures habet varietates et Cel. Dieffenbach quinque enumerat; primus gradus, qui raro medicis, saepe sutoribus curandus venit, tunc existit, cum aegrotus non tota planta pedis, sed modo externo margine plantae humum ambulando tangit, quod malum aegroti attentione, sine machinis et fasciis, sanatur. Omnium neonatorum pedes ita sunt constructi, ut facile incedendo huic malo submittantur, et primis passibus infantis distinguitur, utrum pes fiat varus, an pes normalis. Quam deformitatem sine incisione vel discisione musculorum provocare licet. In secundo gradu aegroti pes prominentia capituli ossis metatarsi quinti nititur; ad hanc producendam deformitatem flexorem longum hallucis aliquantum contraxi, nihil autem discidi. Homo tertia hujus mali varietate affectus ossibus metatarsi quarto et quinto insistit; omnium fle-

xorum attractione et discisione tendinis extensoris digitorum communis longi procreavi hanc abnormitatem. Si ad quartum hujus morbi gradum aegrotus pervenit, malleolo externo nititur, ad quintum provectus, aut omnino ambulare nequit, aut maximo cum dolore in dorso pedis; quas duas deformitates, quod libenter confiteor, bene efficere non potui, nam fere omnibus pedis musculis discisis tamen mihi non contigit, ut illud malum perfecte construerem. Hoc vero vidi, gracilem et sartorium hujus mali esse participes, nam in talibus aegrotis patella semper introrsum dislocata erat.

Pedem valgum, quum nihil nisi majora itinera prohibeat, minus grave malum habeo, quod bene excultum modo semel proximis diebus in puero vidi, qui post fracturam cruris non rite sanatam interno pedis margine nititur.

Has deformitates pluribus modis exoriri videmus; aut adnatae sunt, aut, ut supra jam dixi, ambulando, non satis magna attentione adhibita, oriuntur, aut combustionibus, aut rhachitide aut, quod modo ad pedem valgum pertinet, debilitate. Si Rudolphi contendit, plurimos varos inveniri una cum deformitate capitis et cerebro morboso, assentiri non possum, nam illi homines, qui varis affecti Cel. Dieffenbach curandi tradebantur, optime formati et quod ad corpus et quod ad ingenium attinet apparuere. Negari quidem non potest, haud raro in foetibus hydrocephalo affectis varum inveniri, tamen illa sententia Rudolphii mihi nimis ampla esse videtur; equidem quoque varum apud infantem spina bifida laborantem vidi, et Cramer in Casperi diario

pag. 186. similem adnotat casum; eodem in libro pag. 801. Steinrück profert morbi historiam feminae adultae, cujus pedes sphacelosi facti sunt, quum hydrorhachis exoriretur, ex quibus tribus casibus mihi elucere videtur, medullae spinalis vim magni aestimandam esse ad hoc malum producendum. Hereditatem quoque hujus mali non omnino denegare possumus, nam in familia quadam Berolinensi liberi sex ab eodem patre eademque matre procreati partim pedibus equinis partim pedibus varis affecti sunt, et nepos horum parentum eodem laborat malo.

Varum primi gradus in omnibus neonatis inveniri dixi; infante primos passus faciente discernitur, utrum homunculus per vitam normali ratione ambulaturus sit, nec ne; nam, ut theologi docent, quicunque uno gradu a virtutis tramite discedat, eum esse Satanae, sic experientia nos medicos edocuit, quicunque paulatim corporis curam et attentionem negligat, eum ad omnes curvaturas et deformitates pronum ferri. Ex multis hominibus, in quibus Cel. Dieffenbach dissectionem tendinis Achillis ob maximas pedis deformitates, quae ad quartum vel quintum vari gradum numerandae erant, instituit, audivi, ipsos post partum omnino sanos fuisse, nec quidquam anomali in pedibus observatum, sed pedetentim malum ad illud fastigium accrevisse. Hoc vero non modo de pedibus dicendum est, sed etiam de curvaturis columnae vertebralis, nam saepissime audivimus, infantes antea omnino sanos malo corporis habitu et mala consuetudine paulatim gibbosos evasisse. Altera deformitatis pedum causa in combustione cernitur, quam-

quam equidem hucusque id non vidi, tamen non raro legi et audivi, combustione gastrocnemiorum, tum sequente cicatrisatione musculos breviores fieri, eoque modo suram et calcem ad genu attrahi; quae causae ad pedem equinum formandum, ut supra adnotavi, satis sufficiunt, nam illic ostendi, pedem equinum sola musculorum gastrocnemiorum illorumque tendinis contractione oriri.

Rhachitidem sat gravem causam vari praebere jam in foetibus videmus, et Romberg in dissertatione sua inaugurali describit foetum, talipedibus varis affectum, in quo omnia aderant rhachitidis signa, et exempla hujus deformitatis in foetu ex rhachitide ortae multi alii scriptores adnotavere, ut Osiander et Meyer.

Si istam deformitatem adnatam invenimus, quid sit, an spasmus, an contractio praeternaturalis, an impedimentum fictionis, dijudicare non audeo; ceterum quod ad curationem hoc nullius est momenti, nam, quae causae hoc malum provocaverint, scire non refert, curatio semper ad contraextensionem refugere debet. Haec fere sunt, quae de anatomia et physiologia hujus mali proferre volui; nunc ad curationem progrediar, cujus descriptio majorem mei opusculi partem complebit.

## CURATIO.

Malum tam grave, in oculos tam incurrens, tam ingratum hominibusque affectis tam molestum et vitam miserrimam reddens, quam talipes varus et pes equinus, medicorum attentionem mature excitavit, quam ob rem multas et diversissimas machinas in armamentariis chi-

rurgicis invenimus, quarum enumeratio et descriptio mihi supervacua videtur, quum fere omnes aut nullum aut certe exiguum afferant usum, omnes enim id moliuntur, ut extensione semper semperque accrescente spasmus aut contractio aut brevitas musculorum praeternaturalis vincatur; chirurgi igitur sententiam professi esse videntur, mala, quae paulatim oriantur, paulatim quoque debellanda esse. At non modo machinas adhibuere chirurgi, sed etiam balnea et unguenta et frictiones, quibus omnibus per multos annos maxima diligentia adhibitis interdum iis contigit, ut varum levioris gradus sanarent; quartus et quintus vari gradus insanabilis habebatur, nec quidquam ad illius sanationem in usum vocabatur. Delpech in opere suo »chirurgie clinique de Montpellier« sex talipedum varorum curationes enumerat, sed, quamvis affectorum ne unus quidem primam juventutem excesserat, tamen maxima diligentia non omnes sanavit, sed duos haud sanatos domum remisit: Cel. Dieffenbach ipse anno adhuc millesimo octingentesimo tricesimo sexto in Casperi ephemeridibus talipedes non amplius tractari suadet fasciis, sed eodem more, quo in nosocomio Caritatis Berolinensis fracturae tractentur: talipedes, postquam in situm magis normalem sint redacti, gypso liquefacto superfundi jubet, quo et excoriationes et dolores, fasciarum usu semper orientes, impediantur. Quamquam Delpech in libro supra citato discisionem tendinis Achillis ad sanandum talipedem varum proposuit, quam ipse satis bono eventu perfecerat, tamen chirurgi omnium terrarum perhorrescebant hanc operationem, pes enim non omnino normalem formam

receperat, et curatio diu perduraverat. Hoc modo instituerat operationem: scalpello post tendinem Achillis trajecto, cutem ad longitudinem phalangis digiti perscidit, tum scalpello retracto, cultro convexo tendinem dissecuit, cute superinjecta non amplius discissa. Qua operatione perfecta, pedem ad fere normalem reduxit formam, reductum fasciis retinuit. Sed, ut jam supra diximus, suppuratione intrante pars tendinis extrudebatur, et semper debilitas quaedam hujus pedis remanebat, ita ut aegrotus caliga artificiali uti cogeretur. Ludovicus Stromeyer, Hannoveranus, in Rustii promtuario pro medicina universa (Tom. XXXIX) duos casus talipedum discisione tendinum Achillis sanatorum apposuit; operatio, quamquam Delpechianae similis, tamen ab illa discrepat, et curatio pedis post operationem omnino nova et ingeniosa est. Utramque nunc describam: acutum nempe et angustum cultellum, quo plerumque utimur ad fistulas aperiendas, horizontali directione, duos pollices supra insertionem tendinis Achillis ad calcaneum, trajicit, et tendinem persecat; cutis non amplius discinditur, ut vulnera ista prima intentione sanentur. Qua operatione peracta, pedem non reducit ad normalem situm, ne interstitium inter fines tendinis exoriatur, sed, ut tendo conglutinatione sanetur, pedem in perverso situ fasciis circumvolvit et retinet. Eventus spem non fefellit. Vulneribus per primam intentionem celerrime sanatis, tendinis finibus per conglutinationem concretis, extensionem cicatricis tendinis tentavit, quae tam bene ei cessit, ut pedes aegrotorum ad normalem longitudinem perducerentur. Ante operationem Stromeyer pe-

dem deformem per duos vel tres menses adhibitis fasciis et machinis magis normali positioni assuefieri jubet. Plurimum interesse ei videtur, ut vulnera cutis quam minima sint, ne aëre accedente tendo inflammetur ejusque pars excutiatur.

Nunc ad caput dissertationis meae propero, ad descriptionem et operationis talipedum et curationem operationi submissorum secundum Dieffenbach. Quum jam saepissime praeceptor nobilissimus et in nosocomio Caritatis coram magna auditorum corona hanc operationem instituerit et de illa disseruerit, mihique praeterea per maximam ejus benevolentiam data sit occasio, hanc operationem intuendi, spero, fore, ut, quae prolaturus sum, cum vero consentiant.

Aegroto in sella ad genua procumbente et a socio calce suraque firmatis, chirurgus pone aegrum in sella sedens, cultro, mox describendo, cutem juxta transversum axim cruris perfodit, minime vero in latere altero transfigit, sed cultrum perpendiculari directione inductum in vulnere ipso ad horizontalem vertit, ita ut acies cultri ad tendinem, dorsum ad tibiam spectet; tum nonnullis ductibus tendinem a socio tensum perscindit; socius signum bene perfectae discisionis, crepitationem, sentit; vulnus illud minimum quam celerrime clauditur; tum in planta pedis tendines, qui nimis tensi videntur, discinduntur, vulneraque eodem modo habenulis linteis, emplastro adhaesivo illitis, clauduntur, et pes in perverso situ fascia injecta retinetur. Qua operatione, parum dolorifica, et uno fere oculorum nutu perficienda, vix una sanguinis guttula profunditur. Culter fere eandem for-

mam et longitudinem habet, quam ii, quibus ad calamos scriptorios adaptandos utimur, nec nisi apice, more falcis curvato, ab illis discrepat.

Commoda hujus operationis methodi unicuique apparebunt; vulnus ad axim corporis penetrans celerius sanatur, quam vulnus fibras musculorum transversa directione perscindens. Cultro per oppositum latus non trajecto, unum modo vulnus efficitur, aërque eo facilius prohibetur, quominus vulnus intret. Aeger ipse multo tranquillior est, si in sella ad genua procumbit, quam si lectulus in conclave portatur, illeque pronus in ea locatur. In nosocomio Caritatis ipse vidi, teneras puellas tranquilla mente operationi se submisisse, quamvis ante illarum oculos jam in aliis aegrotis operatio haecce instituta esset; tam parum dolet, tam celeriter perficitur, tantillum sanguinis profluvium, quod maxime puellas terret, esse consuevit, ut aegrotantes animo vix moveantur.

Simplici vinculo, habenulis linteis emplastro adhaesivo illitis, spleniis linteis pluries compositis, quibus fascia circularis superinjicitur, vulnusculum operatione exortum plerumque celeriter et facile per primam intentionem sanatur. Raro tantum exoritur suppuratio, rarius inflammatio et suppuratio in profundiore tela ex affectione tendinum. Quae inflammatio et suppuratio in universum, ut supra diximus, raro intrat; cautela enim adhibetur, ne fasciis pes post operationem in normalem situm reducatur, id quod raro et imperfecte tantum chirurgo contingeret, et praeterea supervacaneum foret, quum fines discissi tendinis non tam celeriter sanescant

et matura extensione et repositione deformis membri distentio perniciosissima provocaretur, quae conglutinationem prohiberet et eventum totius operationis perverteret.

Apparatus extensionis quinto vel sexto post operationem die plerumque adhibetur, nisi magna inflammatione et suppuratione vetatur. Hic apparatus aut Stromeyeri machina est, ab eo in Rustii promtuario (tom. XXXIX.) optime descripta et delineata, aut simplex excavata ferula, cujus inferiori parti apertura ad malleolum internum recipiendum incisa est; at haec tantum adhibetur, ubi varus quarti vel quinti gradus in Stromeyeriana machina nondum poni potest, quod planta pedis plantario machinae adaptari nequit. Fascia externo pedis lateri apposita cingulis inter se aliquantum distantibus firmatur, et pes ipse, praesertim apice introrsum et sursum verso, zonis et emunctoriis ad ferulam ligneam adaptatur. Hoc modo per varium temporis spatium pede reposito, quod modo intra nonnullos dies, modo intra tot hebdomades perficitur et apice pedis extrorsum et deorsum collocato, ut brevibus dicam, pede mobili restituto, ita ut certe planta in horizontali plano aliquantum poni possit, Stromeyeriana machina adhibetur; quae prima fasciarum applicatio hoc quoque praebet commodum, ut, diligenter et caute applicita, fere nunquam provocet excoriationes, quod ad curam bene ordiendam maximi momenti est, quum plurimum intersit, ut mox ab operatione instituta satis validam extensionem cicatricis tendinis proferre possimus. Aliis conditionibus, si enim deformitas minoris

gradus, quam quarta et quinta tali pedis vari species est, curanda nobis offertur, et in omnibus pedibus equinis jam quinto vel sexto die post tendinem dissectum Stromeyeriana applicatur machina. Qui apparatus egregius, una cum maxima simplicitate maximam praebens utilitatem, modo id habet incommodi, quod pressionem totius artus aequabilem exercens exoriationes provocat.

Quamvis negari nequit, has praecipue ex nimis firma fasciarum applicatione oriri, tamen non semper huic causae tribuendae sunt, praesertim illae excoriationes, quae in planta pedis et iis locis induratis, quae antea plantam, quamvis minimam, constituebant, inveniuntur. In pathologica hujus opusculi parte demonstravimus, aegrum partim dorso partim margine pedis terrae insistere pedemque inter ambulandum modo minima suae longitudinis parte humum tangere, minimam ergo et abnormem habere plantam. Haec igitur in modum clavorum degenerata planta fascia comprimitur. Quid autem inde fit? exoritur inflammatio subjectae tunicae cellularis, locali suppuratione epidermis dejicitur, exoritur ulcus, plerumque in recens formata, aliis hominibus normali planta, quod valde dolorificum applicationem fasciarum impedit et sanationem in longum protrahit. Idemque incommodum invenimus in altera excoriationum specie, jam saepius in talipedibus varis curandis observata; sine praegressis aegroti querelis cutem in vesiculam elatam videmus, non dissimilem iis vesiculis, quae combustionibus oriuntur. Si haec vesicula aut arte aut naturae conamine aperitur, reperimus locum ulceratum, dolorificum, sanationem prohibentem, quod maximo incommodo est, si ulcera illa cachexiae corpori

De nonnullis vulgi praeiud
Lichtenberg, Karl Friedrich
Royal College of Surgeons
[418] b2248372x
Mar 01, 2016



insedentis characterem specificum adsciscunt. Sic maxima diligentia et attentione opus est, si tales excoriationes in ulcera scrophulosa mutantur; eadem in casu quodam, ubi scorbutica evaserunt, operatione scilicet in homine egeno, macilento, domicilium subterraneum habente instituta, fere impedivere sanationem. Cum ab idonea horum ulcerum curatione fere totus operationis eventus pendeat, disserere pergam, quo modo medicus recte curationem instituere debeat, ne negligentia sanationem prohibeat aut ex timore mali eventus spem omnem deperdat.

Ad impedienda illa incommoda opus esse videtur, ut fasciae saepe, alternis diebus, auferantur, ut quemque locum cruris denudati bene perquirere possimus, an forsitan affectus inveniatur; tum quoque experientia, quod contrarium est Stromeyeri sententiae, nos edocuit, usum fasciae saepe excoriationes inducentis, esse repudiandum, quam ob rem satis est, tibiali linteo pedem indui, ante omnia vero cavendum est, ne ferulae nimis arcte firmentur, ad quem errorem praecipue seducuntur, si inter primam applicationem Stromeyerianae machinae pes tam flexilis est, ut statim ad normalem situm reduci possit. Sed hoc conamen non bonum sortitur exitum; praeterea, si dummodo scopum consequamur, non multum interest, utrum curatio quinque, an sex hebdomades perduret.

Quam primum chirurgus excoriationes animadvertit et in locis invenit, quae ferulis applicatis necessario premuntur, hae omittantur oportet, pes foveatur aqua Goulardi, cui postea aequales infusi florum chamo-

millae partes admisceantur. Quae medicamenta tam diu in usum vocentur, donec loca excoriata characterem erethisticum omiserint; tum saepe si ulcera unguento saturnino obteguntur et gossypio carpto involvuntur, vinculum applicari potest, quod quotidie renovetur necesse est. Si ulcera specificum habent characterem, secundum hunc tractanda sunt.

In vinculo applicando harum cautelarum mentio facienda est: omnia loca, quae fasciis vel ferulis, vel loris maxime premuntur, gossypio carpto supposito a nimia pressione defendenda sunt. Lora circularia, quae pedem plantario affiguut, ita nectenda sunt, ut pes contrariam, id est normalem, accipiat directionem, lora in varo dextri lateris introrsum trahenda, a latere dextro igitur ad laevum, in varo sinistri lateris a laevo latere ad dextrum, quo fit, ut sensim sensimque naturalis pedis planta efformetur. Vinculum hoc modo adaptari convenit: aeger in mensa positus crus in machina Stromeyeriana collocare jubetur, ita ut sura in excavationem ferulae immittatur, calx, quantum fieri potest, plantarium tangat, tum lora hoc ordine attrahuntur: primum supremum lorum circulare ad crus firmandum, ut punctum fixum habeamus, tum pes plantario affigatur, postea ea lora, quae calcem deprimere debent, nectantur, denique cylindrus, quo totum plantarium sursum moretur, rotetur. Cylindri quotidie duo vel tres dentes promoveantur, ita ut funiculi semper satis tensi sint. Primis curationis temporibus plantarium et ferula angulum obtusum exhibeant, pedetentim, curatione durante, angulus obtusus in rectum mutatur, et si angulus re-

ctus in acutum mutatus est, (calx plantarium firmiter tangere debet) pes sanatus est, et curatio fere completa. Qui bonus exitus secundum varios deformitatis gradus et forte supervenientes complicationes, (excoriationes) saepe jam post tres vel quatuor hebdomades, saepe demum post tot menses evenit. Sanatione tam feliciter peracta, aeger planta nova ad ambulandum uti incipiat, nam hoc modo sanatio completur. Saepenumero pes, si machina tollitur, adhuc deformis videtur, praecipue ob digitorum collocationem ad latus internum, simulac vero aeger incedit, pes normalem formam accipit. Quod interdum jam mature, jam secunda vel tertia post dissectum tendinem Achillis hebdomade, observamus, si enim aegrotum incedere jubemus, etsi sanatio nondum sit perfecta et pes nondum angulum rectum cum crure formet, saepe tamen summo cum gaudio plantam optime excultam videmus et optimam augurari possumus prognosin quod ad perfectam pedis sanationem.

Simul atque aegrotus incedere conatur, caliga utatur Scarpae, duplex commodum praebente, pedem enim fulcit et chalube elastico prohibet, quominus pes introrsum labatur. Interdiu aeger satis magna instituat itinera hac caliga utens, quod laetatus artu diligenter facit, noctu per complures hebdomades adhibeatur Stromeyerianus apparatus, quem aeger ipse optime applicare potest. Non longo temporis spatio interposito aeger omnino sanatur et caliga vulgari uti potest.

Infantibus, secundum annum nondum egressis, plerumque Stromeyeriana machina supervacua est, et ferula e charta densata praeparata sufficit, cui diligen-

tissime gossypio carpto tectae et ad externum pedis latus positae, pedem fasciis et habenulis linteis emplastro adhaesivo oblitis affigimus, ut normalem positionem paulatim adipiscatur; caliga Scarpae hac de causa infantibus mox post operationem necessaria est.

In nonnullis casibus varorum summi gradus experimentum factum est, pedes semicupiis tepidis ad vinculum adhibendum aptiores reddendi, et sanationem maturandi, quod non faustum praebuit eventum, post quodque enim semicupium tendines iterum magis contracti apparuere. In singularibus casibus, in quibus sanatio pedis omnino erat perfecta, apex pedis, praecipue hallux, valde ad internum latus inclinabat, et gressus, quum magna tensio adesset, valde dolorificus reddebatur; quibus in casibus, tendine affecto iterum dissecto, ad externum latus firma lignea ferula applicabatur, qua pes extrorsum trahebatur. Mirum est, longitudinem pedis quoque post sanationem perfectam omnino normalem reddi, nam pes antea sine dubio minor est sano; quo magis pedis sanatio progreditur, eo magis iniquitates, deformitatis sequelae, evanescunt, et gressu continuo normalis forma et longitudo redit; atrophia, nam fere omnes majoris gradus talipedes atrophici sunt, quum musculi ob dolorem non satis excolantur, tollitur, et, ut brevibus dicam, pes alter alteri omnino similis fit. Utile igitur erit caligam Scarpae non minorem esse, quam caligam pedis sani, ut in illa aeger pedem bene excolere possit.

In omnibus casibus vero non eadem auguranda est prognosis, ut supra diximus, nam pedes equini etiam tertii gra-

dus optimam admittunt, multo pejorem secundi gradus talipedes vari, quamquam non mala post tot exempla perfectae sanationis habenda videatur. Maximi vero momenti est, an cutis aegroti ad erythemata aliasque efflorescentias propensa sit nec ne, his enim sanatio valde impeditur. Aetas aegroti non impedit operationem, nam a Cel. Dieffenbach in aegrotis cujusvis aetatis optimo cum fructu instituta est. Sic tabulae lithographicae figura tertia ostendit varum infantis circiter duorum annorum, qui radicitus sanatus est, et spero, fore, ut, aliquot annis elapsis haud plures pedibus deformibus homines ambulare videamus, quam labiis leporinis affectis nunc nobis occurrunt.

Quod forte timendum est, ne dissectione tendinum trismus et tetanus oriantur, praecipue apud infantes, hoc nondum, quod scio, observatum est. Talipedes vari et pedes equini, quorum imaginem in tabula lithographica exhibui, omnes sanati sunt, et aegri optime iis utuntur; sperandum igitur est, fore, ut nunquam chirurgus aut operationem Choparti instituat, aut forte crus omnino amputet, ad gressum commodiorem reddendum, sed ut semper vel in casibus desperatis, qui videntur, ad dissectionem tendinis Achillis velut unicum optimumque hujus deformitatis remedium, confugiat. — Nonnulla eorum, quae de talipedibus curandis protuli, debeo praenobilissimo Dr. Behrend.

---

## MORBI HISTORIAE.

Guilelmus Strumpf, XXVI annos natus, Saxo, ex infantia varo laborabat, qui demum ad tertium mali gradum pervenit. Aegrotus magnos sensit dolores ambulando et omnino modo pauca facere poterat itinera. Planta abnormis, praeternaturalis, minima firmum fingebat callum in externo medio pedis margine, in universum vero pes satis mobilis apparebat, et rotatione fere ad normalem situm reduci poterat. Aeger bono exitu multorum varorum sanatorum incitatus ad operationem sese accinxit, quae die XV mensis Januarii instituta est. Tendo Achillis et tendo flexoris hallucis sunt dissecti, fasciaque simplex apposita; operatio omni morbosa reactione caruit; vulneribus duobus jam tertio die sanatis, XX die Januarii Stromeyeriana applicita est machina, qua diligentissime adhibita, locisque non nimis constrictis, pedis sanatio optimos fecit progressus. II. Febr. die duae vesiculae apparuere, altera in inferiori tertia cruris parte ad latus externum, altera in planta pedis prope articulationem digiti minimi; ambae in excoria-

tiones mutatae impedivere, quominus uti possemus Stromeyeriano apparatu. Favente autem fortuna pedis sanatio tam egregios fecerat progressus, ut aeger tota planta humum tangere posset; quam ob rem pro Stromeyeriano apparatu ferula e charta densata confecta ad latus externum pedis applicabatur, et pes fasciae ope ei admovebatur, ita ut loca affecta ab omni pressione tuta essent atque medicamina bene adhiberi possent. Excoriationes initio aqua Goulardi, tum aequalibus partibus aquae Goulardi et infusi florum chamomillae fovebantur, quibus pro loco plantae pedis affecto non sufficientibus, ad cataplasmatum usum confugiebatur. Sub illorum usu ulcus in planta pedis, in altum valde descendens, paulatim sese explevit, magnus evanuit dolor, ita ut XX die Februarii Stromeyeri apparatus iterum adhiberi posset; loca affecta unguento saturnino tegebantur. Per proximas quatuor hebdomades machina fere continuo adhibebatur, et modo erysipelas faciei, quod casu quodam infausto aegrum affecit, per nonnullos dies applicationem impedivit; attamen aegrotus VI Martis die auxiliante Scarpae caliga in via publica obambulare potuit. Pede omnino concinno plantaque optime exculta, aegrotus satis magna instituere potuit itinera: quum autem apex pedis, praesertim hallux, introrsum inclinarent et in majoribus itineribus tensio quaedam in planta pedis ab aegro sentiretur, quo dolore satis celeriter defatigabatur, hoc quoque malum neque Stromeyeriano apparatu adhuc per noctem semper adhibito, neque continua ambulatione tolleretur, Cel. Dieffenbach mense Majo flexorem hallucis, qui halluce moto tendebatur,

iterum dissecuit. Post operationem aegrotus per decem dies sedere, nec obambulare jussus, et per fasciam horizontali ligneae ferulae affixam, pes extrorsum tractus est, qua ratione tendo elongabatur et aegrotus mox incedere potuit, ita ut pede, antea valde deformi, nunc aeque ac sano bene utatur, et inter ambulandum nec claudicatio, nec pedis tractio observetur. Nunc neque interdiu nec noctu ullam adhibet machinam.

## SECUNDA HISTORIA.

Augustus Paetsch, Posthemi ante tredecim annos natus, puer satis validus e prima infantia varo tertii gradus, cujus specimen in tabula sub No. IV depictum est, laborabat; nitebatur parvo externi marginis loco, qui longioribus itineribus semper inflammatus medicorum auxilio indigebat. Quod parentes, quum jam complures vicini a Cel. Dieffenbach hoc damno liberati essent, movit, ut puerum huc deducerent operationi submittendum. Pes prima disquisitione satis rigidus apparuit, et extensione vix in meliorem situm redigi potuit, ita ut prognosis infausta videretur, sed alia nos docuit experientia. Operatio a Cel. Dieffenbach in domicilio suo instituta est coram multis Berolinensibus medicis, tendo Achillis nonnullique alii in planta pedis jacentes, qui valde tensi apparuere, dissecti, tum pes consueto more fascia involutus est. Operatione modo instituta, pes maxime mobilis exstitit, quod spem boni eventus nostram multo erigebat. Operationem nulla secuta est inflammatio; septimo die, vulneribus omnino clausis et cicatricibus parvis vix inveniendis, Stromeyeriana machina in usum

vocata est, fasciae diligentissime applicabantur, ne incauta pressione inflammatio pedis exoriretur et mox egregius operationis eventus obtinebatur. Pes sensim ad normam reducebatur, ita ut, vix tribus hebdomadibus elapsis aeger tota planta terrae insistere posset. Post quinque hebdomades aegrotus, Scarpae caliga utens, iter ex suo domicilio ad domicilium Dieffenbachii fere milliariorum duorum, bene perficere potuit. Pedis quidem nonnulla loca excoriata fuerunt, sed unguento saturnino adhibito cautaque fasciarum attractione excoriationes sanatae sunt, apparatu non unquam remoto. Nunc pes antea deformis gracilem et venustam habet formam, et aeger maxima facere potest itinera.

# EXPLICATIO TABULAE LITHOGRAPHICAE.

Fig. 1. Imago talipedis equini secundi gradus.
- 2. Imago talipedis tertii gradus.
- 3. Specimen vari secundi gradus.
- 4. Specimen pedis vari Augusti Paetsch tertii gradus.
- 5. Specimen vari quarti gradus.
- 6 a. et b. Imago varorum ultimi gradus. Omnes hae deformitates, ut supra dixi, sanatae sunt.



b2248372x
TRACTS A430(6)

# VITAE CURRICULUM.

Ego Carolus Mauritius Lewald, parentibus Davide et Caecilia Lewald natus sum Regiomontii d. XXXI. m. Martis A. D. MDCCCXV, confessioni evangelicae addictus. Scholis privatis ab illustrissimo Ulrico, nunc Francofurti a consiliis regiis, per tres annos instructus, in collegium Fridericianum receptus sum. Quo Gymnasio relicto, Exc. Struve in Gymnasium Palaeopolitanum me recepit, cui perinde ac summe colendis Ellendt, Müttrich, Legiehn, Fatschek maximos habebo gratias. Testimonio maturitatis instructus vere anni MDCCCXXXIII. academiam Albertinam adii, ubi ab Ill. Schweikart, t. t. Prorectore Magnifico civibus academicis et ab Ill. Sachs t. t. decano maxime spectabili, albo medicorum adscriptus, prae-

lectionibus his interfui. Docuerunt me: Ill. Herbart logicen; Ill. Meyer botanicen generalem et specialem et physiologiam plantarum; Clar. Moser physicen; Clar. Dulk chemiam experimentalem, phytochemiam, zoochemiam et pharmaciam; Cel. Burdach jun. osteologiam, syndesmologiam, myologiam, angiologiam, artem hominum cadavera rite secandi; Ill. de Baer zoologiam, artem animalium cadavera rite secandi, organologiam, neurologiam; Cel. Burdach sen. physiologiam et anatomiam generalem; Beat. Dietz materiam medicam; Ill. Sachs hodegeticen, theoriam morbi, morbos syphiliticos, nosologiam et therapiam specialem et psychologiam; Beat. Unger chirurgiam generalem et specialem, Ill. Hayn artem obstetriciam et theoreticam et practicam; Ill. Seerig chirurgiam specialem, operativam et ophthalmologiam; Ill. Klose politiam medicam et medicinam forensem. Praeterea scholas clinicas et policlinicas chirurgicas Ill. Seerig, majocomium et policlinicum obstetricium Ill. Hayn, et policlinicum medicum Ill. Sachs per annum integrnm frequentavi. Ad almam Fridericam Guilelmam autumno anni MDCCCXXXVI profectus ab Ill. Busch t. t. Rectore Magnifico receptus et ab Ill. Mueller, t. t. Decano spectatissimo, me-

dicinae studiosis adscriptus exercitationibus clinicis virorum illustrissimorum et celeberrimorum Barez, Dieffenbach, Juengken, Rust, Truestedt, Wolff interfui praelectionesque de anatomia organorum sensuum Ill. Mueller audivi.

Quibus omnibus viris summe venerandis gratias maximas habeo semperque habebo.

Tentamine jam et examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut hacce dissertatione publice defensa, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

---

# THESES.

1. Hippocraticum illud: Quod medicamenta non sanant, ferrum sanat, quod ferrum non sanat, ignis sanat: falsum est.
2. Vulnera et venena absolute letalia non existunt.
3. Puerpera, quae infantem suum interfecit, non punienda est.
4. Dissectio tendinis Achillis talipedibus optime medetur.